

perboles. Suntq; eæ duæ lineæ à ueteribus deprehensæ: quæ quum in uno sint Plano (utraq; enim in ipsa superficie EF) & perpetuò fiat propior altera alteri , nunquam tamen concurrunt . Quod illi longa quidem demonstratione ostenderunt, eamq; enarrat Cardanus plenius: ad quem remitto Lectores. Habet enim illa Demonstratio multa probationum capita scitu digna, è Geometria deprompta, ad confirmandam lineæ appropinquationem: sed quæ tamen sensui per se est obuia . Nam quum ipsa GH , latus scilicet Hyperboles , perpetuò & gradatim ascendat , eleueturq; uersus Coni basin , nimirum uersus punctum F: propterea quòd Circuli, quibus Conus ipse constat, continuè maiores fiunt uersus id ipsum F punctum: & stet ipsa recta EF in sua superficie EF immutabilis: proculdubio ipsa GH , secundum augmentum Circulorum, continuè etiam propior fiet ipsi EF lineæ: & tamen cum ea nunquam concurret. Intelligatur enim extendi ipsa EF superficies cum Cono interminatè: tum linea GH aut concurret cum EF in linea AD, aut extra eandem. In ipsa AD, minimè: quia oporteret ipsam quoq; EF cum AD concurrere: quum tamen positæ sint paralleli. Necq; extra AD lineam concurret: quia quum EF sit in Superficie AD , & GH in superficie Coni: oporteret ipsam AD superficiem tangere Conum in puncto concursus: quod fieri non potest , quum probatum sit, Superficiem AD , unica sui linea AD tangere Conum. Nunquam ergo concurrent GH & EF: quod fuit demonstrandum.

Ea est inuentio antiquorum , quæ quidem acuta & Geometrica prorsus est: sed quæ ex quo genere linearum fit ipsa GH, non explicet . Nonnullis enim uideri possit recta , propterea quòd rectissimè procedere uidetur in Superficie Coni . Sed lex Geometrica non permittit esse rectam: quia duas lineas rectas non parallelos , protractas aliquando concurrere , constat ex Conuersione definitionis Parallelorum . Et quidem nulla recta linea potest in superficie Coni extendi, nisi quæ à puncto uerticis ducatur ad basin: sitq; latus talis Trigoni, quale designauimus ABC . Nam quum linea recta à puncto ad punctum ducitur, utrunq; punctorum in eodem Plano esse intelligitur. Atqui duo G & H puncta, non in plana, sed in Conica sunt superficie: & quæ ab altero ad alterum ducitur recta , in Conica superficie non est, sed in corpus penetrat. At dices, duo quoq; pūcta A & D in Coni esse superficie, simulq; in Plana. Verum id quidem est: sed ipsa AD linea, quum sit secundum ductum lateris Trianguli Conum describentis, id habet libertatis, ut possit deserere Superficiem Conicam; & suo ductu planam superficiem creare. Scilicet si in-

f 3 telligatur